



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Quæstio IX. In quonam consistat quidditas, & ratio Divinarum
Processionum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

in omnibus Personis necessariis. Ergo determinante se naturâ Divinâ ad amorem, & scientiam liberam, omnia supposita necessaria se pro eo signo determinant.

418. Respondeo negando antecedens. Tum quia libera à necessariis distinguuntur in Deo: nam idemmet actus sive scientiæ, sive voluntatis dicitur liber, & necessarius respectu diversorum: nam respectu objecti, quod potest esse, & non esse, dicitur perfectissimè liber: Deum esse hoc modo actum liberum, est tam necessarium ei, ac quævis alia perfectio. Tum quia natura divina non determinat ad amorem, & scientiam liberam, quasi possit habere, vel non habere amorem, & scientiam liberam; cum Deus per suam naturam sit actualiter liber absque ullâ sui mutatione ad ponendum extra mutabilia & contingentia: non enim oportet, quod natura divina sit necessaria in essendo, & hoc modo intrinsecè libera in operando ad extra: imò voluntas creata ex suppositione, quod existat, non est libera, ut sit, vel non sit: cum sua existentia à se ipsâ non pendeat, sed à solo Deo; & tamen est libera libertate potentiæ ad amorem, vel non amorem. Tum quia illud, quod additur; scilicet necessaria esse priora naturâ liberis, solum habet locum in liberis, quæ realiter pendent à necessariis: v. g. prius est animam rationalem habere voluntatem, quàm liberam voluntatem; quia voluntas necessario consequitur animam ut ejus proprietas; non verò volitio, quæ solum liberè pendet à voluntate. At verò in Deo, qui realiter per suam naturam sicut est omnipotens, sic est liber circa objecta creata; hoc non contingit.

419. Illud autem, quod additur, amorem scilicet & scientiam liberam esse in tribus Personis præsuppositis jam in esse naturæ, quin una communicet, & alia accipiat amorem, & scientiam existentium; nec probatur, nec est verum: quod sic suadeo. Tum quia Trinitas Personarum intelligit, & vult liberè contingentia eo modo quo est, & existit. Sed licet tota Trinitas simul existit; existit tamen cum illo ordine originis; Patre scilicet communicante naturam, & alia; & eadem Filio accipiente. Ergo sic volunt liberè tres Personæ divinæ; scilicet cum tali ordine communicandi, & accipiendi scientiam liberam, &c. Etenim modus operandi sequitur modum essendi. Alia solent argumenta adduci, quæ quia in nostris principiis nullam vim habent, hic libenter omitimus.



QUESTIO IX.

In quonam consistat quidditas,
& ratio Divinarum
Processionum?



IC syrtis, in quâ Hæresarcharum navis, errorum sarcinis onusta ad Baratri usque fundum impegit. Hic ubi adversus unum Arrium, Photinum, & alios ejusdem furfuris Athlantes Ecclesiæ feliciter ingemuere. At quia, Deo Auspice, recessere venti, & contradicentium decumani fluctus detumuerunt; curæ jam non est, ut cum filiis de Fide certemus; liceat æquum sit, scopulos delineare, ne quis hæreat, ubi ipsi divinum fatum miserè deplorarunt.

LECTIO I.

Statuitur in hoc puncto
Catholica Fides.

420. **P**riusquam ad id, quod inter Catholicos agitur, calamum admoveam, opere pretium est saltem pro notitiâ duxi, Catholicam veritatem ostendere. Supponendum igitur est prius dari Processiones in Deo, per quas una persona ab altera procedit, non quidem secundum actionem transeuntem; sed immanentem; non ut effectus à causâ, nec ut causâ producit diversos effectus, qualiter Arrius, & Sabellius posuerunt; sed omni propriâ causalitate, & dependentiâ conclusâ.

421. Primum constat ex Scripturâ, unam scilicet Personam ab aliâ procedere; nam Isaïæ 48. Micheæ 5. & Zachariæ 2. Deus à se mittendum promittit; missio autem includit processionem æternam missi à mittente juxta Divum Thomam quæst. 43. Ergo. Joannis 5. Christus Dominus de se ait: *Ego scio eum, (scilicet Patrem) quia ab ipso sum.* Et cap. 8. *Ego enim ex Deo processi.* Quæ verba de æternâ processione intelligunt 6. de Trinitate Athanasius in expositione Fidei, Sanctus Augustinus, & Rupertus 5. de Trinitate, cap. 34. Denique 15. Joannis de Spiritu Sancto sic dicitur: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui ex Patre procedit.*

422. Ulterius hæc veritas primò probatur hæc ratione Catholicâ. De fide est dari tres

Uterius
probat
r. rati
Cathol

tres Personas distinctas in unitate essentiae. Atqui Personarum multiplicatio, & realis distinctio unius ab alia, absque processione unius ab alia stare non potest. Ergo. Deinde cum non possit haec veritas naturali ostendiratione; congrua tamen non deficiunt ad illam declarandam. Deceat enim infinitam bonitatem, infinita quoque communicatio, quae ad summam Dei fecunditatem pertinet iuxta illud Isaia 66. Numquid qui alios parere facio stertis ero? Sed summa communicatio ad intra stare non potest absque processione unius Personae ab alia. Ergo.

z. Ex S.
Th. q. 27.
art. 1.

423. Probat secundum ex Angelico Doctore quaest. 27. artic. 1. Audi eum: *Omne individuum intellectualis naturae in aliquo sui inlectione, Verbum producit, ut in Angelis & hominibus constat. Sed Deus est individuum intellectualis naturae in supremo gradu existens. Ergo aliquod Deitatis suppositum Verbum producit. At accidentalis productio divina naturae non potest competere. Ergo erit Verbum substantiale personaliter subsistens, ac proinde debemus fateri aliquam Verbi productionem in Deo, & consequenter processionem unius Personae ab alia.*

Quod autem
illa
processio
non sit ut
effectus a
causa par
ter ex scri
pturis.

424. Quantum vero ad secundum, quod nempe talis processio non sit effectus a causa, probatur primo, ex eo quod Filius & Spiritus Sanctus sunt verus Deus iuxta illud 1. Joannis cap. ultim. *Ut scimus in vero Filio ejus, hic est verus Deus.* Et in eodem cap. *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt,* scilicet unitate essentiae; ac proinde Verbum & Spiritus Sanctus cum Patre in Deitate conveniunt. Sed cum processione a Deo ut proprii effectus a causa, vera Divinitas subsistere non potest cum Divinitas omnem dependentiam, quam effectus involvit, a se excludat. Ergo processio unius Personae ab alia, non est ut effectus a causa.

Tandem
ostendo,
illam esse
per solam
actionem
immanen
tem

425. Denique quod talis divina processio non sit per actionem transeuntem, sed solum immanentem, facile ostenditur. Quia actione transeunte tam active, quam passive solum producit, quod est proprie, & vere effectus. Sed divinae Personae effectus ratio repugnat. Ergo & processio per actionem transeuntem. Firmatur. Quia quod actione transeunte producit a Deo, nequit esse ejusdem naturae cum Deo, ut patet in creatis, quae a Deo transeuntem procedunt. Tres autem divinae Personae sunt ejusdem naturae. Ergo. Restat nunc, ut si quae sunt, quae veritatem Catholicam oppugnare videantur, expediamus.

Enti ergo
omnino a
se, non re
pugnat

426. Arguitur primo, Enti omnino a se repugnat ab alio procedere. At quilibet divina Persona est ens a se. Ergo nequit ab alia procedere. Distinguo majorem: Enti

omnino a se repugnat ab alio procedere ut esse ab a-
a causa, concedo: ut a principio originis, lio ut a
nego majorem, & minori concessa, con- principio
sequentiam.

427. Instabis. Non stat, unum ab alio procedere, quin ab alio dependeat. Ergo cum divinis Personis dependentia repugnet, nequit illis realis, & intrinseca processio unius ab alia competere. Antecedens probatur I. Procedere ab alio, est, ab alio accipere esse. Sed accipere esse ab alio, est ab illo dependere. Ergo. Secundo. Quia procedens ab alio, nequit esse sine illo. At non posse absque alio subsistere, est ab illo dependere. Ergo. Tercio. Nam procedere ab alio, est illo ad sui existentiam egere. Sed indigentiam dependentiam importat. Ergo. Quarto. Quod procedit ab alio, est ipso posteriorius. Sed posterioritas effectus, & dependentiam rationem inducit. Ergo. Nego primum antecedens. Ad primam probationem, majorem concessa, distingo minorem: si accipiat esse ab alio diversae naturae, concedo: ejusdem naturae, ut contingit in Deo, nego minorem, & consequentiam. Ad secundam probationem, nego minorem. Quia in sententia satis probabili omnipotentia Dei non potest esse absque possibilitate creaturarum, quin tamen ab ea dependeat. Addiderim (quod verius est) scilicet ad propriam dependentiam non sufficere connexionem unius cum alio; sed ultra requiri, quod illud importet aliquam subordinationem ad aliud; hoc autem solum habet locum in his, quae sunt diversae naturae: non autem in divinis processioibus, quae ejusdem naturae sunt. Ad tertiam probationem eadem est applicanda solutio; tunc scilicet indigentiam dependentiam importare, quando unum subordinatur alii diversae, & superioris naturae. Ad quartam distingo minorem: Posterioritas naturae, concedo: posterioritas solum originis, nego minorem, & consequentiam. Quia Persona procedens hoc modo, & non primo, est posterior ea, a qua procedit, in Deo.

Bene stat
unum ab
alio proce
dere, quia
ab alio de
pendeat,
dummodo
non sit na
turae di
versitas.

428. Arguitur secundum ex identitate Personarum solum inferitur, naturam unius Personae esse independentem a natura alterius, non autem Personalitatem unius a Personalitate alterius non dependere. Ergo admisa processione unius Personae ab alia, debet talis dependentia admitti. Antecedens probatur. Cum identitate naturae stat personalitatum distinctio. Ergo ex identitate in natura solum inferitur independentia unius naturae ab alterius natura; non autem independentia Personalitatis procedentis a personalitate Personae, a qua est procedens. Nego antecedens, & ad probationem, consequentiam. Ratio est. Tum quia Personae non dependent nisi propter naturam, aut propter esse naturae acceptum: cum ergo

Falsum est
dicere, ex
identitate
personaru
non infer
ri quod u
na perso
nalitas ab
alia perso
nalitate
non de
pendeat.

ergo Persona procedens habeat & accipiat idem esse naturam, ac Persona à quâ procedit; fit, quod inter tales Personas dependentia non detur. Tum quia cum Personalitas Personam procedentis cum ipsius naturam identificetur, bene infertur, quod eo ipso quod natura procedentis sit omnino independens, Personalitas etiam debeat omnem dependentiam excludere.

429. Instabis. Cum identitate personalitatis, & naturam stat optimè, naturam non esse productam, & productam esse personalitatem. Ergo pariter cum tali identitate stare potest dependentia unius personalitatis ab aliâ cum independentiâ naturam. Respondent aliqui cum Godoy disput. 71. §. 1. concessio antecedenti, negando consequentiam. Et discrimen juxta eos est. Quia esse productum cum independentiâ, imperfectio non est: esse autem cum dependentiâ productum, est maxima imperfectio: quia ergo natura divina in formalitate sibi identificata nullam imperfectionem admittit, consequens est, quod ab eâ excludat dependentiam; non autem producibilitatem. Sic Godoy. Verum eadem permanet difficultas in possibilitate rei adæquatè distinctæ, qualis apparet inter unam, & alteram personalitatem, aliam productam, & aliam à quâ illa procedit.

430. Respondeo igitur, Personalitatem divinam propriè non produci; sed Personam; sicut nec Personalitas dicitur produci, sicut nec Persona, seu Pater. Ratio est. Quia actiones, vel quasi actiones solum tribuuntur suppositis: jam verò cum Persona producta procedat in eadem naturam, quæ est in Personam producente; fit inde, quod nec productio, nec distinctio Personarum inducat imperfectionem; cum omnia in eadem, & ipsissimam naturam contingant.

431. Arguitur tertio contra rationem formatam ex Divo Thomam. Quia non est de ratione intellectio, quod Verbum producatur. Ergo veritas Catholica adhuc congruenter per talem rationem non rectè stabilitur. Antecedens probatur tum in visione beatificâ, vi cujus non producitur Verbum: tum in divinâ intellectu, prout in Verbo, & Spiritu Sancto, in quibus Verbi productio non datur. Ergo non tenet illud Sancti Thomæ principium; omne scilicet intelligens eo ipso, quod intelligit efformat Verbum.

432. Variè discurreunt Theologi, ut salvandam Divi Thomæ rationem ab hac, & aliis impugnationibus vindicent. Alii dicunt, Beatos per sui visionem producere Verbum;

sed hoc nec congruè dicitur, nec consequenter ad Sancti Thomæ principia: quia licet nunc videamus per speculum, & in ænigmatibus, tunc autem facie ad faciem; quod excludit omne verbum; in id & nos cum oculis corporis attingendo colorem, nullum verbum efformamus. Hoc tamen Deo dante, suo loco magis, & fufius illustrabimus. Alii ex Illustrissimo Arauso tomo 1. in primam partem, quæst. 12. artic. 2. dubio 3. Respondent, de ratione intellectiois ut sic esse, annexum Verbi productionem habere, quantum est ex propriâ ratione; cum quo tamen stat, quod visioni beatificæ ex ratione specificâ repugnet Verbi productio. Verum hic modus discurrendi rejicitur facile primò. Quia prædicata opposita non possunt eidem essentiam competere. At Visio beatificæ ab intrinseco, & essentialiter petit non producere Verbum; cum petat versari circa Deum, ut est in se, cui repugnat per verbum creatum representari, sicut alii dicunt, id repugnare per speciem impressam: in quo inconsequenter procedunt. Ergo non potest ex conceptu communi habere exigentiam productionis verbi. Consequentia patet. Quia hæc exigentia sunt inter se opposita. Tunc sic. Sed si esset de conceptu communi intellectiois exigentia hæc, omni intellectu deberet competere; cum ratio superior ad sua inferiora cum omnibus sibi essentialibus descendere debeat. Ergo hujusmodi exigentia non convenit Visioni beatificæ ex conceptu intellectiois. Firmatur. Si enim animalis ut sic essentialiter competeret exigentia risibilitatis, nequiret contrahi per differentiam exigentem carentiam risibilitatis, v. g. per hinnibile. Ergo quia non possunt eidem naturam opposita prædicata competere, unum secundum genus, & aliud secundum speciem, non poterit Visioni beatificæ, &c.

433. Aliter respondet Godoy, antecedenti concessio, negando consequentiam. Quia licet non sit de ratione intellectiois productio Verbi; est tamen de ratione naturam intellectualis, quod in aliquâ sui intellectu verbum efformet; ac proinde id erit de ratione naturam intellectualis divinam, quæ in supremo gradu intellectualitatis collocata existit. Sed contra. Quia juxta Divum Thomam, omne intelligens eo ipso, quod intelligat, Verbum producit. At quod convenit intelligenti eo ipso, quod intelligat, ei convenit ex conceptu communi intellectiois. Ergo. Tum quia si non esset de ratione intellectiois productio Verbi, non posset illa universalis ex Divo Thomam congruenter ostendi. Ergo Verbi productio est de communi intellectiois conceptu. Antecedens probatur. Quia ea univ-

Quodnam
fit discrimen
in eo
quod cum
identitate
personalitatis,
& naturam
stat, sicut
illam produci
non autem
& negetur
dependentiam
unius
personalitatis
ab aliâ.

Resp. Personalitatem
propriè
non produci,
sed personam.

Opponitur
contra
rationem
à S. Th.
petitam.

Ad illam
salvandam
variè discurreunt
Auctores.

Aliter respondet
Godoy
sed impugnat
naturam.

universalis propositio solum potest à Di-
vo Thomâ inductivè ostendi; scilicet
per intellectuales creatas discurrendo
naturas. Sed hæc circa objectum infi-
nitum clarè visum, verbum non produ-
cunt. Ergo ex illis non licet inferre uni-
versalem verbi productionem ab omni in-
tellectivâ naturâ.

Beati solū
vident
Deum per
hoc quod
divina ef-
fentia ip-
forum in-
tellectui
unitur in
esse intel-
ligibili.

434. Jam igitur tota sistit difficultas
in verâ Divi Thomæ explicatione ad con-
cludendam Catholicam veritatem: ut er-
go illam dilucidemus, nota ex doctrinâ
Sancti Doctoris Beatos non videre Deum
mediâ aliquâ specie creatâ, sive impres-
sâ, sive expressâ (quod communiter di-
stinguunt Doctores,) sed per hoc so-
lum, quod ipsa divina essentia unitur
intellectui Beatorum in esse intelligibili.
Tractat punctum hoc 3. contra Gentes,
Divus Thomas cap. 51. ubi ait: *Modus
autem hujus visionis satis jam ex dictis, qua-
lis esse debeat, apparet. Ostensum enim est
suprà, quod divina substantia non potest vi-
deri per intellectum in aliquâ specie crea-
tâ: unde oportet, si Dei essentia videatur,
quod per ipsammet essentiam Divinam intel-
lectus ipsam videat: ut sic in tali visione,
Divina Essentia sit, & quod videtur, &
quo videtur.* Ita Sanctus Doctor.

Unde ar-
gumentū
conspicuū
solutione
nervo.

435. Ex quibus respondeo ad argu-
mentum, rationem Divi Thomæ, &
ejus illationem ex creaturis intellectu-
alibus hunc sensum habere. Omne scilicet
intelligens secundum per speciem
creatam producit Verbum. Ergo intel-
ligens per speciem divinam sibi identifi-
catam, Verbum etiam producit. Jam verò
cum Beatus non attingat Deum per
aliquam speciem creatam, non dicitur in-
telligere modo requisito ad Verbi pro-
ductionem: & ideo Theologi eum actum
magis nomine visionis, quam intellec-
tionis nominant, juxta illud Apostoli:
Videbimus Deum facie ad faciem: sum-
ptâ quasi metaphorâ à visione corporeâ,
in quâ (ut diximus cum Sancto Thomâ
in Philosophiâ) nullum producitur Ver-
bum, seu expressâ species: non enim
attinet ad visionem loqui, sed videre:
Imò nec intellectus loquitur, cum vi-
det; sed cum intelligit, modo jam ex-
plicato.



Theol.

LECTIO II.

Relatis Doctorum placitis,
vera sententia pro-
pugnatur.

436. **P**Rima sententia docet, pro-
cessiones activas esse actiones
distinctas ab actionibus intel-
ligendi, & volendi in Deo, nec tales actus
incluere formali inclusione. Ita Scotus in 1.
distinct. 2. quæst. ult. & distinct. 27. quæst.
2. Cui præter omnes Scotistas subscribitur
noster Magnus Suarius lib. 6. de Trinitate
cap. 3. Molina disp. 4. tit. 3. Valentia disp. 2.
quæst. 1. puncto 4. Albertinus corollario 12.
Theologico, dubitat. 3. Verum quidem est,
hanc sententiam non uno, sed longè diverso
modo ab his defendi Doctoribus. Nam
Scotus, Suarius, Molina, & Valentia acti-
vam processionem statuunt in actu inadæ-
quatè identificato cum relatione principii
producentis, v. g. in generatione Filii cum
relatione Patris: in productione verò Spiri-
tus Sancti, activam processionem cum Spira-
tore identificant. Pater verò Albertinus te-
net, activam processionem identificari cum
relatione termini producti.

1. Senten-
tia tenet
processio-
nes acti-
vas esse di-
stinctas
ab actioni-
bus intel-
ligendi, &
volendi in
Deo.

437. Secunda autem sententia tuetur ex
opposito, processionem activam esse formali-
ter actus intelligendi: & volendi; ita ut di-
ctio, quâ Verbum producitur, sit formaliter
actus intelligendi: & processio, quâ Spiritus
Sanctus procedit, sit ipsa volitio formaliter.
Hæc est satis communis inter Thomistas. Sic
Capreolus in 1. distinct. 22. cap. 1. Ferrara
lib. 4. contra Gentes, cap. 3. Cajetanus art. 5.
Zumel quæst. 41. Salmaticenses disp. 1. dub.
3. Joannes à S. Thomâ disp. 12. art. 5. Ex no-
stris verò eam tenent Acutissimus Vasquez
disp. 112. Granados tract. 2. disp. 3. & dispur.
140. cap. 2. Meratius tract. de Deo, disp. 43.
& disp. 55. Hæc tamen opinio solet duplici-
ter defendi. Alii adstruunt, duplicem actum
intelligendi, & volendi in Deo: primum qui-
dem essentialem, & communem tribus Per-
sonis, quam à constitutione divinarum pro-
cessionum omnino excludunt: Alium verò
notionalem, & relativum, & hunc in activis
processionibus, afferunt, formaliter claudi-
quem dicendi modum tanquam Thomista-
rum refert, & refellit Pater Turrianus hic
art. 5. in secunda part. quæstionis. Secundus
verò hanc sententiam defendendi modus
solum cognoscit unum intelligere essentia-
le, in quo modificato per Paternitatem,
eam dictionem, seu processionem acti-
vam, quâ Verbum procedit, consistere;

2. ex dia-
metro op-
ponitur
primæ.

1 i affirmat,

affirmat; & idem defendit de actu volendi respectu processionis Spiritus Sancti. His ita.

Dico 1.
Processio
activa non
identifica-
tur adæ-
quatè cū
termino
producto.

438. Sit prima Conclusio. Processio activa non identificatur adæquatè cum termino per illam producto. Ita præter relatos, Pater Zuniga disputat. 1. dubio 7. Pater Hurtadus difficult. 5. contra Henricum, Scotum, Zumelem, quos sequitur noster Borrul disputat. 5. sect. 3. Probatur primò ex Divo Thomà quæst. 91. artic. 1. ad secundam, ubi ex Magistro in 2. Sententiar. distincta. 26. docet, quod generatio, & nativitas aliis nominibus dicuntur Paternitas, & Filiatio. At si generatio activa esset adæquatè identificata cum Filio, Paternitas dici non potest. Ergo generatio activa non identificatur adæquatè cum Filio. Secundò. Quia actio immanens est in eodem subjecto, in quo est illius activa potentia. Sed generatio, aut processio qualibet activa est actio immanens respectu potentie activæ, quæ est in Patre. Ergo non cum Filio; sed cum Patre debet identificari.

Rursus
quia po-
tentia ge-
nerativa
Parris cū
sit summè
actualis,
non potest
ab actu si-
bi proprio
distingui.

439. Probatur tertio Conclusio. Quia potentia generativa Patris est summè actualis. Ergo non ab actu sibi proprio realiter distingui. Probatur consequentia. Etenim potentia à suo actu realiter distincta, in summà actualitate non est. Nec obstat, si dicas, quod sicut ex distinctione reali Verbi à principio productivo reali Verbi, non sequitur in isto aliquid potentiale, eo quod ratione naturæ cum eo identificatur: Ita similis actionis identitas in naturâ cum eodem principio, ab illo omnem potentialitatem excludit. Sed contra. Nam quod Verbi distinctio à suo principio, potentialitatem non arguit, ex eo est, quod principium non actuatur per terminum productum: At verò actio immanens ex suâ ratione actuatur principium actualitate intrinsecâ. Ergo semper deducitur idem, quod prius; quod scilicet si talis processio actuatur à principio activo, sequitur quod illud sit potentiale, si ab illo, ut inquit Contrarii, realiter distinguatur.

Tandè ab
absurdo
probat.

440. Ad hominem tandem potest probari conclusio. Ideò enim probatur, per actionem termino identificatam, posse Patrem in generantis ratione constitui; quia in creatis ita contingit, quod scilicet principium agens constituitur per actionem subjectam in passo. At ratio hæc, si aliquid probat, arguit etiam, Patrem Divinum posse in ratione Patris constitui per relationem sibi extrinsecam, & intrinsecam Filio, quod est planè absurdum, Ergo talis ratio nul-

lius roboris est. Probo sequelam. Quia juxta Albertinum, qui sic discurrit, & alios, relatio in creatis, est extrinseca denominatio à termino; & consequenter Pater creatus denominatur Pater relative vel à Filio producto, vel ab actione generativâ existente in passo; vel saltem inadæquatè constituitur Pater per aliquid sibi extrinsecum juxta hujusmodi varias opiniones. Ergo si ex creaturis licet argumentari, & colligere, principium denominari agens in divinis ab actione identificatâ cum termino, eo quod in creatis ita contingat: licebit etiam non minori efficaciam inferre, Patrem Divinum in esse Patris per relationem sibi extrinsecam, & cum termino identificatam, constitui.

441. Sit secunda Conclusio. Processiones activæ non identificantur adæquatè cum relationibus principiorum: v. g. Generatio non adæquatè identificatur cum relatione Patris, nec Spiratio activa cum relatione Spiratoris. Est dicere, Processiones activæ non in solis relationibus Patris, & Spiratoris sunt: Sed insuper aliquid absolutum important. Hæc conclusio est ad mentem Sancti Thomæ quæst. 3. de Potentiâ, artic. 5. in corpore, ubi ait: *Similiter ergo dicendum de actione, & potentia: nam generatio significat actionem cum aliquo respectu: Unde ipsa generatio est Dei actio; sed prout Patris tantum; & similiter ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia; sed prout Patris tantum, &c.* Ita ibi. Ex quibus verbis clarè colligitur, Sanctum Doctorem quantum ad identitatem cum relatione æquiparare generationem cum potentia generativâ. Sed hæc (ut infra ostendam) non identificatur adæquatè cum solâ relatione. Ergo idem est de processionibus activis.

442. Ex his suadeo primò à ratione conclusionem. Potentia generativa Patris non est adæquatè relatio; sed absolutum cum respectu, ut constat ex Divo Thomâ. Ergo generatio, seu actualis activa processio non est adæquatè relatio principii, sed quid absolutum cum respectu. Consequentiam probo primò. Tum quia sic salvatur major identitas actionis cum potentia, actus secundi cum primo, vel quasi primo; & consequenter major perfectio potentie, quæ eò perfectior est, quò actualior, & quò cum actu secundo magis identificata, ut bene docent Godoy, & alii. Secundò. Quia si omnipotentia in Patre ut Paternitate modificata, est fecunda ad generandum per modum actus primi; cur actus secundus divini intellectus prout modificatus relatione Patris, non erit fecundus etiam per

Dico 2.
Processio-
nes activæ
non identi-
ficantur ad-
æquatè cū
relationi-
bus prin-
cipiorum.

Unde suade-
tur 1.
quia pot-
est gene-
rativa Pa-
tris non est
adæquatè
relatio.
sed abso-
lutum cū
respectu.

per modum actus secundi; & consequenter in illo prout sic, & non in solâ relatione actualis generatio adæquatè consistit?

2. Suadeatur, contrariâ retorquendo rationem.

443. Suadeo secundò Conclusionem generaliter; si ob aliquam rationem generatio activa identificaretur adæquatè cum relatione Patris, maxime quia est propria Patris, prout à Filio distinguitur, vel quia Patrem à Filio distinguit. Sed hæc ratio manifestè instatur in potentia generativâ. Ergo nihil ex eâ contra nos. Minor probatur. Potentia generativa est propria Patris, prout à Filio distinguitur: Cum non minus repugnet Filio posse generare activè, quam ipsa actualis activa generatio; & tamen potentia generativa non consistit adæquatè in relatione, aut respectu; sed in absoluto, & respectu simul, ut plures ex his, contra quos agimus, concedunt. Ergo.

3. Quia quò major est inter producens, & productum, major inter producens, & productum identitas, eò est perfectior.

444. Suadeo tertio. Quo major est identitas inter producens, & productum, eò est productio perfectior. Sed positâ generatione in absoluto, & respectu simul, major inter producens, & productum salvatur identitas, quàm si solum in relatione adæquatè consistat. Ergo. Major videtur certa. Cum producens eò tendat actione, ut sibi simile producat; quò autem magis identificatur cum producente, eò ei similis evadit, & consequenter finem suâ actione intentum, perfectius attingit. Minor autem facile constat; si enim actio est adæquatè identificata cum relatione principii, adæquatè distinguitur à termino producto; si enim in absoluto cum respectu ponatur, est idem cum termino producto secundum id, quod de absoluto importat; & solum ab eo per respectum distinguitur. Consequentia verò principalis probari non eger.

Dico 3. activa processio Verbi est ipsa intellectio essentialis modificata relatione Paternitatis.

445. Sit tertia & præcipua Conclusio. Processio activa, quâ Verbum procedit, non est actus adæquatè distinctus ab actuali intellectu essentiali, & absolutâ; sed est ipsa intellectio ut modificata relatione Paternitatis, seu ut hanc relationem involuit. Hoc ipsum, quod de actione, quâ Verbum producitur, asserimus, dicimus etiam de processione Spiritus Sancti; quod scilicet hæc non distinguatur ab actu volendi; sed quod sit volitio essentialis, prout modificatur relatione spiratoris; quæ relatio primæ; & secundæ Personæ est una, & eadem, & communis, atque ejusdem prorsus rationis.

Quod autem non fit in actuali intellectu, prout processio, quæ est generatio, solius Patris debet esse propria; non autem

Theol.

ullius alterius Personæ: Item spiratio activa non debet esse communis tribus Personis; sed solum Patri, & Filio. Sed intellectio, & volitio præcisè sumptæ, omnibus divinis Personis conveniunt. Ergo divinæ processiones activæ non possunt stare in intellectu, & volitione præcisè; sed aliquid aliud formalem constitutionem ingreditur; & hoc est relatio Patris respectu processionis, quæ generatio est; & relatio spiratoris respectu processionis, quæ est activa spiratio.

muni ratione.

447. Jam verò prima pars Conclusionis à nobis hic est principaliter stabilienda contra Scotum, & alios. Suadetur primò autoritate Divi Thomæ. Quia juxta Divum Thomam Verbum est intellectio terminus: Ita expressè edocet quæst. 4. de Veritate, artic. 2. quæst. 9. de Potentiâ, artic. 5. & 1. parte, quæst. 34. artic. 1. ad 2. & 4. contra gentes, cap. 11. his verbis: *Est autem de ratione Verbi, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere; cum sit quasi terminus actualis intellectio- nis.* Ita Sanctus Doctor. Sed Verbum est terminus dictionis activè sumptæ. Ergo dicitio formaliter est ipsa intellectio, & non actus specialis intellectioem essentialem formaliter excludens.

Primæ ergo Conclusionis pars probatur. ex S. Thomæ variis in locis.

448. Nec satisfacis, si dicas, Verbum esse quidem terminum intellectioem, ut principii; & dictionis, ut actionis; ac proinde non inde sequi, quod sit terminus intellectioem, & dictionis, quod dicitio sit formaliter intellectio; cum diversimodè ab utraque procedat. Hoc autem nihil confert. Nam si solum hoc modo Verbum esset terminus intellectioem ut principii, aut potentie; non verò ut actionis; dicere in nobis nullo modo significaret intelligere: Cum nomen actionis non significet ejus potentiam, aut principium. Sed *dicitio* in nobis significat intelligere exprimens Verbum, juxta Divum Thomam quæst. 9. de Veritate, artic. 9. ad 5. ubi ait: *in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem.* Ergo Verbum non est terminus intellectioem præcisè ut principii, à quo procedit; sed ut actionis, quâ procedit.

Quandam evasione præcluda

449. Suadetur secundò à ratione Conclusio. Omnis actus intellectus est formaliter intellectio. Sed dicitio est actus intellectus divini ut appropriati Patri, ut contra Durandum disputant Theologi. Ergo dicitio, seu activa processio, quâ Verbum procedit, est intellectio formaliter; ac proinde non est quasi actus medius inter relationem, & intellectioem, & multò minus ipsa sola relatio. Major patet. Actus qui intellectio non sit, sufficiens est ad specificandam potentiam adæquatè distinctam

2. A ratione probatur. Quia omnis actus intellectus est formaliter intellectio; dicitio autem est actus intellectus divini ut appropriati Patri.

stam ab intellectu: Nec ob aliam rationem volitio specificat potentiam ab intellectu distinctam, nisi quia intellectio non est. Ergo omnis actus, qui intellectio non sit, specificare valebit potentiam distinctam non minus, quam volitio.

Firmatur
a. prajac
ta ratio.
Quia ac-
tus inter
se distinc-
ti, & nul-
latis su-
bordinati,
ad eandem
nequeunt
pertinere
potentiam.

450. Firmatur primò. Quia juxta contrarios, qui relegendi sunt vestigia, dictio, quæ divinum Verbum producitur, non est propter intellectiorem, nec ex eâ procedit. Ergo nullum ordinem habet ad intellectiorem. Sed actus omninò distincti, & inter se non subordinati, nec ordinati ad aliquam rationem communem, ad eandem potentiam pertinere non possunt. Ergo. Minor subsumpta constat. Quia licet in eadem potentia non sit novum assignare plures, & diversos actus, ut in intellectu apprehensio, judicium, discursus; & in voluntate Amor boni, intentio finis, electio mediorum, &c. tamen cum ex eorum diversitate non arguatur diversitas potentiarum, necessarium est, vel quod conveniant sub aliqua ratione objecti communis ad eandem potentiam pertinentis; vel quod inter se subordinentur in ordine ad actum perfectiorem ejusdem potentia, ut contingit in actibus intellectus, & voluntatis, & aliqui edocent de gradibus heterogeneis in physicis, & naturalibus.

Itē. Quia
licet illa
dictio sit
propter
intellecti-
onē, hoc
nō sufficit
ut ab eadē
potentiā
procede-
ret: id pa-
ret in spe-
cie im-
pressā.

451. Firmatur secundò. Etiam si Adversarii dicant, quod dictio illa sit propter intellectiorem; id tamen non sufficeret, ut ab eadem potentia procederet, à qua est intellectio. Ergo ut ab eadem potentia, scilicet intellectu, procedat, debet esse intellectio. Antecedens probatur. Licet productio speciei impressæ, quæ noster intellectus redditur secundus, sit propter intelligendam, & ad intelligere ordinetur, nihilominus pertinet ad distinctam potentiam ab intellectu possibili, ut multi ex Adversariis fatentur. Ergo ordinatio productionis Verbi ad intellectiorem, dummodò intellectio non sit, ut ad eandem potentiam cum intellectiorem pertineat.

Dices, dif-
fere esse
rationē;
sed urgeo

452. Nec valet dicere, quod species impressa ordinatur ad intellectiorem, ut principium ejus: Verbum autem est terminus, in quo intellectio suum objectum contemplatur; & ideò disparem esse rationem inter utrumque actum. Non, inquam, sufficit. Quia si semel ordinatur, parum refert, quod ordinetur ut principium, vel ut terminus intellectiorem: Præmissæ enim solent dici Conclusionis principia; & tamen ad eandem potentiam pertinent eò, quod ad Conclusionem ordinentur. Addiderim, falsum esse assumptum; quod scilicet species impressa sit principium, quo ab intellectu possibili

fluit alius actus, qui dicitur intellectio: Quia (ut constat ex dictis in Tractatu de Anima cum Divo Thomà) species impressa solum est veluti principium Verbi; & ut se habet ad illud, in quo contemplatur objectum, dicitur, & est ipsa formalis intellectio. Quod quidem satis expressè docuit Divus Thomas quodlibeto 5. art. 9. per hæc verba: *Dicendum, quod intellectus intelligit aliquid dupliciter: Uno modo formaliter, & sic intelligit specie intelligibili, quæ sit in actu; alio modo sicut instrumentum, quo utitur ad aliquid, aliud intelligendum; & hoc modo intellectus verbo intelligit; quia format Verbum ad hoc, quod intelligat Verbum.*

453. Nec placet, quod ait Godoy contra Scotum: Nimirum quod etiam intellectus possibilis per unam speciem secundus, potest per proprium actum tertiam speciem impressam elicere. Tum quia de ratione intellectus possibilis non est producere speciem, sed solum eam pati. Tum quia de ratione speciei impressæ est, quod ab alio alteri imprimatur. Tum quia Philosophus comparat intellectum possibilem rasæ tabulæ, in quâ nihil est depictum; intellectus autem possibilis se habet ut pura potentia respectu specierum, seu formarum intelligibilium; quemadmodum omnes dicant, materiam primam puram potentiam physicam respectu formarum naturalium.

454. Denique suadetur Conclusio. Si dictio non esset intellectio formaliter, sed actus ab intellectiorem distinctus, sequeretur, esse actum identificatum cum Verbo. Hoc autem communi Theologorum iudicio repugnat. Ergo. Sequela probatur. Quia Deus non causat creaturas per actionem, quæ sit intellectio; vel saltem actio creativa in plurium eorum sententiâ identificatur cum termino. Ergo si actio, quæ Pater producit Verbum, non est intellectio formaliter, erit actio identificata cum Verbo producto. Nec illud, quod primò occurrit discrimen, obstat: Deum scilicet causare creaturas per actionem transeuntem, ac proinde actionem illam debere identificari, non cum Deo; sed cum termino: Patrem verò divinum producere Verbum per actionem immanentem, quæ petit esse in principio producente. Hoc, inquam, non obstat. Quia semel concessio, non repugnare Deo agere per actionem, quæ non sit formaliter intellectio, & per actionem identificatam cum termino extrinseco; cur repugnabit Deo agere ad intrâ per actionem identificatam cum termino ejusdem naturæ, quæ etiam tunc diceretur immanens; quia identificatur cum termino intrâ Patrem manente ratione identitatis cum illo in natura? Cerrè in hoc

Displecti
Illustrati-
mus Go-
doy im-
pugnans
Scotum.

Denique
suadetur.
Quia al-
ter dictio
est actus
identifica-
tus cum
Verbo.

hoc nulla potest assignari ratio: Ne autem inconueniens istud sequatur, affirmandum est, distinctionem, seu processionem activam Verbi non esse actum omninò formaliter ab intellectu distinctum; cum, ut dictum est supra, actus ille, qui nec ordinatur ad intellectiõnem, nec est sub ratione communi objecti intelligibilis, non possit pertinere ad intellectivam potentiam. Et idem, proportione servatà, dicendum de processione activà Spiritus Sancti.

LECTIO III.

Quæ contrà militant, facile expediuntur.

455. **O**bjicitur primò contra primam Conclusionem cum Patre Borrull. Processio activà est id, quo Pater producit Filium. Sed id, quo Pater producit Filium, est processio passiva Filii. Ergo processio activà identificatur cum passivà, ac proinde cum termino producto. Major constat. Quia processio activà est id, quo Pater est producens Filium. Ergo id, quo Pater producit Filium. Minor verò probatur. Id, quo Pater producit Filium, est id, quo Filius à Patre producitur. Sed id, quo Filius à Patre producitur, est processio passiva Filii. Ergo id, quo Pater producit Filium, est processio passiva Filii. Minor patet. Quia processio passiva Filii est id, quo Filius accipit esse productum à Patre. Ergo est id, quo Filius à Patre producitur. Majorem, ait Pater Borrull, esse ita claram, ac Grammaticis est claram, orationem in passivà voce idem valere, ac in voce activà. Ergo id, quo Pater producit Filium, est id, quo Filius à Patre producitur. Concessà ergo majori, nego minorem. Ad probationem, majori concessà, est etiam deneganda minor. Illa verò alia minor, quæ sequitur, ac certa supponitur, est omninò falsa. Quia processio passiva non est id, quo Filius accipit esse per modum influxûs, & actionis; sed est ipsum esse Filii acceptum per modum termini; cum habitudine tamen ad Patrem, qui mediâ suâ actione producit Filium, ei esse communicando. Illud verò, quod additur de sensu orationis in voce activà, & passivà, verum est; sed ita explicari debet. Per actionem immanentem, quæ est in Patre, Pater producit Verbum, & Verbum à Patre producitur: Quemadmodum per actionem, quæ est in intelligente, & intelligens intelligit, & objectum intelligitur, quin ex parte objecti neces-

Theol.

sarium ullâ ratione sit, intellectuõnem ponere.

456. Objicitur secundò. Licet in creatis non solum actio immanens; sed etiam ejus terminus sit in principio causativo sui; tamen in divinis Verbum, quod est terminus actionis immanentis, non est in potentia causativa Patris. Ergo etiam de actione, licet immanens sit, idem poterit affirmari. Nego consequentiam. Quia ad hoc, ut Verbum sit terminus actionis immanentis, sufficit, quod sit in Patre ratione identitatis, quam cum ipso habet in natura. Sed.

457. Replicabis. Ergo etiam, ut actio, quâ Verbum producitur, sit immanens, sufficit manere in principio ratione identitatis in essentia cum illo; cum quo bene compatitur identificari adæquatè cum Filio. Nego consequentiam. Ratio discriminis est. Quia hæc est differentia inter Verbum creatum, & increatum; quod illud non producitur ut quid subsistens; sed tamquam medium; quo, sive in quo intellectus intelligat, & rem in illo representatam attingat: Quod quidem non semel speculi exemplo illustravi. Unde intellectus creatus ex necessitate intelligendâ media specie fecundus, format Verbum expressivum rei; aliter cum plerumque res sint materiales, & istæ pro suâ crassâ materialitate non sunt proportionatæ spiritali potentia, nisi formaret Verbum, in quo res appareat, devastata, aut denudata suâ materialitate, non esset modus illam cognoscendi; cum implicet actus sine objecto. Hinc autem datur intelligi, quare non solum actio immanens creata, sed etiam ipsum Verbum, seu terminus debeat esse immanens in ipsâ potentia; tum ex necessitate illius: Tum quia est quædam illius perfectio.

458. At longè diverso modo (præter multiplex discrimen, quod ex hujus Tractatus decursu innotuit, ac innotescet) in divinâ Verbi productione contingit. Tum quia Pater non producit Verbum ex necessitate; sed ex fecunditate: Filius enim, & Spiritus Sanctus perfectissimè intelligunt; & tamen nullum Verbum producunt. Tum quia Pater non producit Verbum, ut intrinsecè perficiatur per illud; imò ideo Verbum producit, quia est infinitè perfectissimus; atque adeò ex nullo capite petit Pater Æternus immanentiam sui Verbi producti, per identitatem cum potentia productivâ; sed solum ratione identitatis cum naturâ. Tum denique quia Verbum divinum producitur ut quod, & ut aliquid subsistens relativè oppositum principio producenti; ac proinde nequit realiter identificari cum illo. Jam verò actio productiva non producitur ut quod, nec id petitur petitur

Præterea in multis increatū Verbum à creato discernitur.

I 3 ad

Id, quo Pater producit Filium, non est processio passiva Filii; hæc enim est ipsum esse acceptum per modum termini.

ad actionis conceptum; sed tantum quod sit ultima actualitas, quâ suum terminum producat agens; & sic perit in divino principio manere ratione identitatis cum illo: Aliâs principium non esset ultimum, & perfectissimè in actu ad producendum; quod quidem in principio maximè infinito, ac perfectissimo omninò implicat,

459. Objicitur tertio. In creatis fieri effectus, prout ab agente, est ipsa actio productiva effectus. Ergo in divinis ipsum produci Filium, prout à Patre erit ipsa actio generativa; & consequenter hæc, & quælibet alia activa processio adæquatè identificatur cum termino producto. Nego consequentiam. Disparitas est. Quia (ut constat ex dictis superiori calamo in Metaphysicâ) operari agentium naturalium est per motum secundum qualitates contrarias, agens enim naturale nequit unum substantialiter generare, quin aliud corrumpat. Hoc autem non præstat agens naturale, nisi per motum secundum qualitatem; qui motus non est in movente; sed necessariò in mobili; sic diximus in prædicamento actionis, quod cum ignis facit calidum, frigidum destruendo, ipse calor, quo formaliter fit calidum, prout oritur ab igne, est, & dicitur actio; & prout recipitur in passo, dicitur passio, quin sit necessarium, ullum alium modum superaddere. Hinc constat, quare in agentibus creatis ipsum fieri effectus se habeat ex parte subjecti, & non ex parte agentis. Tum quia operatur per motum; hic autem non est in movente; sed in mobili. Tum quia operatur ad vincendam resistantiam contrarii; ad quod necessarium est, ut quod agitur, seu producitur, recipiatur in subjecto, ad contrariam formam expellendam, & intentam introducendam. Hæc autem omnia non ita se habent in Patre increato, qui nec operatur per motum, nec ei aliquid resistit in producendo; nec est ulla ratio, quare ejus actio generatio se habeat ex parte termini producti; præsertim cum sit vitalis, & immanens.

460. Verùm hæc solutio parum solida visa fuit nostro eximio Suario. Primò. Quia in divinis licet non mediet motus; benè tamen intelligitur mediare ipsum produci Filium. Ergo hoc comparatum ad principium activum, erit actio principii. Secundò. Quia in creatione non mediat motus; quia cum res fiat ex nihilo, nihilum non moveretur; & tamen ipsum fieri effectus, prout ab agente est actio creativa. Ergo idem, quod prius. Sed hæc non obstant. Respondeo ad primum, negando antecedens. Quia ipsum produci Filium, passivè sumptum, non mediat; sed solum est terminus actionis

Parris; ac proinde comparare ipsum produci Filium, ad principium activum, est idem, ac comparare ipsum Filium ad Patrem mediâ generatione, quæ est in illo. Ad secundum dic, suppositum esse falsum: Nam (ut ostendi in Philosophia) actio creativa non distinguitur realiter ab ipso Deo; nec ad faciendum aliquid ex nihilo, requirit Deus medium aliquod; cum etiam hoc medium absque alio medio ex eodem nihilo fiat, ut dicunt contrarii Doctores. Nec est actio necessaria distincta, quæ se habeat ut via ad terminum: Quia solum in subjecto, in quo potest esse motus, dari potest via: At terminus creationis cum non sit ex præsupposito subjecto; sed potius ex nihilo fiat, in nihilo non est dari viam aliquam ad nihilum, vel ad aliquid.

461. Objicitur quartò. Juxtâ Divum Thomam 1. parte, quæst. 41. in Deo datur realis activa potentia respectu actuum notionalium; quam potentiam negat respectu actuum essentialium. Sed potentia realis activa necessariò expolcit realem influxum. Ergo non solum terminus; sed etiam activa processio à potentia activâ realiter distinguuntur. Respondeo, Divum Thomam solum voluisse assignare discrimen inter actus notionales, & essentielles; stans quidem in eo, quod respectu actuum essentialium non datur potentia realiter productiva, nec ratione sui, nec ratione termini: Quia non habent terminum ad intrâ productum; benè tamen respectu actuum notionalium terminativè; quia habent terminum intrâ Deum realiter productum.

462. Objicitur quintò contra secundam Conclusionem. De conceptu generationis est, ut pro quocumque signo intelligatur subjecto competere, ipsum constituat in actu exercito generans. Sed relatio Paternitatis nequit intelligi Patri conveniens, quin Pater in actu exercito generans intelligatur: Omnis autem alia formalitas intelligi potest Patri conveniens, quin illum constituat exercitè generantem; cum absoluta sit, & prædicata absoluta notionalia præcedant. Ergo sola Paternitas ratione sui est generatio activa absque aliquâ aliâ formalitate generationis ingrediente conceptum. Distinguo minorem: Quin intelligatur in actu exercito generans ratione relationis Paternitatis præcisè, nego: Ratione illius ut complementis, & determinantis intellectiois formam, concedo minorem, & nego consequentiam. Pro solutionis intelligentiâ nota doctrinam utilissimam, quam affert Divus Thomas quæst. 10. de Potentiâ,

Non valet
paritas
desumpta
à fieri ef-
fectus
creati, qui
prout ab
agente, est
ipsa actio
productiva
effectus.

Impertinens
et
Ripalda

Nobis nõ
refragatur
Angeli-
cus 1. p.
quæst. 14.

Dices eõ
tra 2. Co-
clusionem,
relationem
Paterni-
tatis non
posse in-
telligi Pa-
tri cõpe-
tere, quin
intelliga-
tur exer-
citè gene-
rans.

Nõ ener-
vant solu-
tionem da-
tam, quæ
à magno
Suario op-
ponitur.

rentiâ, art. 3. ubi in corpore sic ait: *Sicut autem relatio, & processio sunt idem secundum rem, & differunt secundum rationem tantum; ita & ipsa relatio licet sit una secundum rem; & tamen multiplex secundum modum intelligendi: intelligimus enim ipsam relationem ut constitutivam Personæ: quod quidem non habet, in quantum est relatio; quod ex hoc patet. Quia relationes in omnibus humanis non constituunt Personas, cum relationes sint accidentia: Persona vero est aliquid subsistens in genere substantia; substantia autem per accidens constitui non potest. Sed habet hoc relatio in Divinis, quod Personam constituat, in quantum est divina relatio: ex hoc enim habet, quod sit idem cum divinâ essentiâ, cum in Deo nullum accidens esse possit. Relatio vero, quâ secundum rem est ipsa natura divina, Hypostasim divinam constituere potest. Est ergo alius modus intelligendi, quo intelligitur relatio ut constitutiva divina Personæ; & alius, quo intelligitur relatio, ut relatio est. Unde nihil prohibet, quod quantum ad unum modum intelligendi relatio supponat processionem, quin verò ad alium sit e converso. Sic ergo dicendum est, quod si consideretur relatio ut relatio est, præsупponat processionis intellectum: si autem consideretur, ut est constitutiva Personæ, sic relatio, quæ est constitutiva Personæ, à quâ est processio, est prior secundum intellectum, quàm processio: sicut Paternitas, in quantum est constitutiva Personæ Patris, est prior secundum intellectum, quàm generatio. Ita ibi S. Thomas.*

Unde relatio Paternitatis est una & rem multiplex tamen ratione.

463. En textum, quem si ad Scholasticam lucem expendas, plura quidem effugies, quæ in hac totâ materiâ non tam difficultatis ansam præbent, quàm æquivocationis nebulam offundunt. Est igitur relatio Paternitatis, una secundum rem, id est, realiter una; multiplex tamen conceptu, seu ratione; quia secundum varia munera, quæ exerceat, varios quoque de illâ formamus conceptus secundum species, quas de creaturis habemus; est enim scientia, & cognitio creaturarum quasi scala quædam, quâ intellectus humanus ad divinas processionem cognoscendas ascendit, juxta illud Pauli: *Invisibilia Dei, &c.* Modus autem, quo formamus conceptus de Deo, & cui varias denominationes tribuimus ex diversitate talium conceptuum, non est, quod hic explicaturi moremur, cum ab ipso Tractatu de Animâ sæpè sæpius rem illustraverimus.

tria igitur munera præstat eadem indivisa Paternitatis relatio.

464. Stemus nunc proposito. Relatio igitur Paternitatis primò constituit Personam Patris. Secundò constituit eam generare potentem; Tertio eam constituit generantem; Quarto constituit eam ad Filium relatum. Hæc omnia præstat una & indivisibilis entitas relationis: Quia tamen in creatis non est dare entitatem, quæ hæc omnia munera exerceat; sed

plures ad illa præstanda entitates requiruntur; earum species intellectus assumit ad varios formandos conceptus, in quibus diverso modo eandem cognoscit relationis entitatem: nam sub conceptu subsistentiæ, seu hypostatis eam cognoscit ut complementem divinam naturam in ratione suppositi, seu Personæ; sub conceptu verò principii determinantis potentiam, cognoscit illam ut complementem Personam in ratione potentis generare: sub conceptu autem principii determinantis actionem illam attingit ut complementem, & constituentem Personam in ratione actualiter generantis: & quia positus generante, & genito, statim utriusque relatio resultat, ideo sub conceptu relationis constituit Personam in ratione Patris relativè ad Filium. Hic autem verus, & legitimus discurrendi modus, atque loquendi in hoc arcano Mysterio, valde confusus est; cum enim Theologiam humanam, & non Angelicam pertractemus, humano nostro intelligendi modo debet attemperari discursus.

465. Ex quâ doctrinâ intelliges primò prius intelligi Patrem in ratione Personæ constitutum per relationem sub conceptu subsistentiæ, aut hypostatis, quam generare potens intelligatur. Ratio est. Quia in creatis, ex quibus ascendimus ad Deum, prius est suppositum, quod denominatur potens, quàm potentia, quâ potens dicitur: quod quidem vel ab ipsis Grammaticæ Rudimentis notum facimus; ubi prius ponitur verbum *Sum*, suppositum importans, quàm verbum *Possum*, quod ultra suppositum significat potentiam supposito, vel subiecto in hærentem.

Inde est 1. quod prius intelligitur Pater per relationem sub conceptu subsistentiæ persona, quam potens generare.

466. Intelliges secundò, prius concipi Patrem constitutum in ratione generare potentis, per divinam relationem inadæquatè sub conceptu principii determinantis potentiam, quàm intelligatur actualiter generans. Ratio est. Quia in creatis prior est potentia, seu principium, quo suppositum, vel subiectum est potens, quàm actus illius potentie secundus: sicut prius est, ignem esse potentem calefacere per calorem ipsi in hærentem, quàm actu calefacere, seu actualis calefactio. Hinc eadem facilitate

2. etiam prius concipitur conceptus per illam in ratione potentie generare, quàm actualiter generari.

467. Intelliges tertio, prius intelligi Patrem in ratione actualiter generantis constitutum inadæquatè per divinam relationem sub conceptu determinantis actionem, seu intellectiorem; quàm intelligatur relatus ad Filium sub conceptu relationis Paternitatis. Ratio etiam est. Quia cum in creatis actio se habeat tanquam fundamentum, vel potius ratio fundandi; posteriorque sit ratione fundatâ, proprio ipsius fundamento: semper relatio generantis subsequitur ut quid posterius ad ipsam actionem generativam

3. Prius intelligitur divinâ relationem actualiter generans, quàm relatus ad Filium.

rativam. Quæ omnia maximè congruunt nostræ Philosophiæ, in quâ actus essendi, actus primus operandi, & actus secundus, seu operatio realiter distinguuntur in creatis; cum nulla creatura sit immediatè operativa per suam substantiam.

Unde illustratur dicta supra pro disparitate fieri effectus creatus.

468. Ex dictis facillè capies argumentum supra factum, & ei adhibitam solutionem. Non enim potest intelligi Patri conveniens aliqua formalitas modificata, sive appropriata per relationem sub conceptu determinantis intellectiōnem, quin intelligatur in actu exercitō generans: potest tamen intelligi Persona, quæ Pater dicitur constituta per relationem sub conceptu hypostasis, seu substantiæ, aut per eam constituta sub conceptu potentiæ, aut principii, quin sub eo conceptu intelligatur exercitō generans: cum hi conceptus præcedant nostro modo intelligendi generationis conceptum. Nec ex hoc putet quis imperfectum Patrem Divinum: quia non hoc sequitur; sed solum imperfectus noster modus concipiendi: sicut distinctio, quâ distinguimus formalitates divinas, nullam refundit imperfectiōnem in Deo contra summam & indivisibilem ejus simplicitatem, quin potius arguit infinitam ejus perfectiōnem; cui cum limitata virtus intellectûs nostri adæquari non possit, eam pro hoc statu diversimodè per varios conceptus attingimus, se diversitate tenente ex parte conceptuum; non verò ex parte Dei: quemadmodum non minuitur Sol ex eo, quod nostris oculis minor appareat, ac in suâ quantitate sit; & hoc ob nimiam; finitam tamen distantiam: quid ergo putabimus de Deo infinities ab intellectu nostro distante?

Triplex contra nos obijctur ratio.

469. Obijctur sexto. Tum quia intellectiō essentialis sub eodem conceptu absoluto intelligitur huic Deo conveniens, quin illum generantem constituat. Ergo si Patrem generantem constituit, non est ratio absolute, quod dicit; sed ratione superadditæ relationis, quâ dicitur ad esse Patris; & consequenter ipsa relatio erit ratio formalis constituens Patrem generantem, & non absoluta intellectiō: Tum etiam quia Pater pro priori, quo intelligitur in ratione Personæ, concipitur intelligens intellectiōne essentiali, & tamen non concipitur pro illo priori generans. Ergo intellectiō etiam modificata Paternitate, est principium quo proximum generationis Verbi. Ergo ipsa prout sic non est actualis generatio; cum principium actionis ab istâ debeat saltem ratione distingui.

Exactam solutionem adhibeo.

470. Ad primum. Concesso antecedenti, distinguo consequens: ratione relationis ut complementis, & determinantis intellectiōnem, concedo: ratione relationis præcisè, & ut formæ adæquatæ, nego consequentiam. Adde, plures Contrariorum etiam

hoc argumento redargui; cum teneant, principium quo stare in aliquo absoluto ut modificato relatione Paternitatis: & tamen absolutum, prout præcedit Paternitatem, non constituit Patrem proximè generare potentem, sed solum prout relatione modificatum, quin ex hoc inferatur, in eorum sententiâ, solam relationem esse potentiam generativam. Ad secundum distinguo antecedens: intellectiōne essentiali ut appropriatâ pro suo signo, concedo: intellectiōne essentiali præcisè sumptâ, nego antecedens. Ratio est. Quia intelligere, & dicere in Patre idem sunt: dicere autem non est quid absolute præcisè. Et distinguo consequens: prout modificata Paternitate sub conceptu hypostasis, & substantiæ, concedo: prout modificata sub alio conceptu, nego consequentiam. Quod si inquiras, quis sit hic conceptus? Respondet Godoy, esse ipsissimum, sub quo Adversarij asserunt, relationem esse generationem. Istum, dicit hic Author, non generationis rationem sortiri: sed complementi formæ, in quâ ut ex illo completâ generatio consistit. Nos verò jam diximus, relationem constituere generationem sub eodem conceptu, quo ipsam intellectiōnem determinat, eamque appropriat in ratione actionis, quæ soli competit Patri. Ad tertium respondeo, quod licet principium generationis quo proximum, & ipsa generatio sint idem secundum rem; ratione tamen, & juxta nostros modos concipiendi distinguuntur: unde intellectiō actualis etiam ut modificata Paternitate, potius est actualis generatio, quàm generativa potentia: in quo autem talis potentia consistat, jam supra professâ lite disputavimus.

471. Obijctur septimò. Sic comparatur processio activa ad personam producentem, sicut processio passiva ad Personam productam. Sed passiva Filii processio in Filiatione stat adæquatè. Ergo processio activa, vel generatio adæquatè in Paternitate consistit. Minor probatur. Quia Filiatione taliter determinat Filium ad esse producti, ut nec esse, nec intelligi possit in ipso, quin sit, & intelligatur passivè productus: id autem nulli alteri formalitati, quæ sit in eo, potest convenire; nam præter relativum solum restat absolutum; & pradicatis absolutis hoc, quod est produci, in divinis omnimò repugnat. Ergo. Non est una mens inter nostræ sententiæ Doctores, ut fiat satis objectioni factæ. Noster Granados, minori concessâ, negat majorem. Nos verò e contra respondendum putamus, ut doctrinæ consequentia principii datis omnimò cohereat. Quare concessa majori, nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: quin sit & intelligatur productus ratione Filiationis præcisè

Processio igitur passiva Filii non stat adæquatè in Filiatione; quippe non ratione istius præcisè, sed ut complementis in intellectiōne Filii est passivè productus

Præcisè, & adæquatè, nego: Ratione filiationis, ut determinantis intellectionem, concedo antecedens. Solutio constat ex dictis in præcedenti argumento. estque conformis sententiæ Sancti Thomæ quæst. 9. de Potentiâ, artic. 9. ad 3. ubi hæc habet: *Eadem enim potentia est Patris, & Filij, per quam & Pater generat, & Filius generatur.* Ita ibi. Infero inde: Ergo etiam idem actus erit, quo Pater actu generat, & quo Filius actu generatur; ac proinde eadem intellectio, quæ prout determinat Paternitatem, in Patre est generatio, seu processio activa, eadem prout determinata relatione Filij, in Filio erit passiva processio.

472. Obijcitur octavo. Generatio est ratio distinguendi Patrem à Filio. Sed sola relatio est ratio distinguendi Patrem à Filio. Ergo sola relatio est generatio. Major patet. Nihil potest se ipsum generare. Ergo generans per generationem realiter à genito distinguitur; sicut quia nihil potest ad se ipsum referri, relatum per relationem à suo relativo distinguitur. Idem sentit S. Thomas quæst. 2. de Potentiâ, artic. 2. non ad primum, ut malè citatur apud Godoyum; sed ad 3. apud quem cautè lege locum S. Doctoris; quippe apud illum quæst. 27. de divinis processibus, tract. 9. disputat. 71. §. 4. num. 54. concludit autoritas Sancti Thomæ sic: *Non oportet naturam distinguere, sicut nec potentia generandi; cum potentia sit principium quo.* Ego verò apud Sanctum Thomam aliter lego; videlicet: *Unde non oportet, naturam divinam distinguere, sicut potentia generandi; cum potentia sit principium ut Quo.*

473. Distinguo ergo majorem: Generatio creata: nego majorem Generatio divina, majorem subdistinguo: Secundum totum, quod dicit generatio: nego: Secundum quid, quod involvit; nimirum relativum, concedo majorem. Dixi generatio creata: Quia licet generans creatum à genito distinguitur; tamen id, quo actu generat, est utriusque commune; non enim generatio est magis propria generantis activè, quam sit respectu geniti passivè. Hoc autem, ut ex dictis patet, in generatione divinâ non contingit: Quia suâmet proprietate personali ut modificante, vel determinante intellectionem, generat Filium; sic igitur activa generatio communis esse non potest.

474. Instabis primò. Generatio divina est omninò simplex. Ergo vel est ratio distinguendi se totâ, vel sub nullâ ratione. Consequentia patet. Quia in re omninò simplici non est dare partem, & partem. Secundò. Quia relatio utpotè ratio distinguendi, se totâ differt à correlatione sibi

Theol.

oppositâ. Ergo si generatio est ratio distinguendi Personas, se totâ debet à genito distingui. Ad primum distingo antecedens; est omninò simplex simplicitate, quæ opponitur compositioni, concedo: Quæ opponitur constitutioni ex pluribus fundamentaliter à parte rei, & formaliter solâ ratione distinctis, nego antecedens, & consequentiam. Quia, ut sub unâ ratione distinguar, & non sub aliâ, sufficit, generationem constitui ex duobus rationibus fundamentaliter inter se distinctis: Quod fundamentum cum sumatur ex infinitâ, & incomprehensibili perfectione Dei, qui est trinus, & unus, potius arguit perfectionem, quàm imperfectionem, dummodò non concedatur propria aliqua, & intrinseca distinctio. Si enim omnes Catholici solâ Fide benè componimus in unâ simplicissimâ entitate unitatem cum Trinitate; quare ergo non intelligemus in unâ simplici entitate rationem identitatis, & rationem distinguendi? Ex eodem enim infinitatis principio utraque oritur, & dissolvitur difficultas.

475. Ad secundum distingo antecedens: Relatio differt se totâ, quia est ratio distinguendi, nego: Quia est ratio distinguendi se totâ, differt se totâ, concedo antecedens. Igitur cum in divinis totalis ratio oppositionis unius Personæ cum aliâ, ortum habeat à relatione solùm, idè relatio se totâ distinguitur. Ratio verò, quare generatio activa, licet involvat rationem distinguendi, se totâ non differat, est: Quia ad perfectionem agentis spectat assimilare, aut identificare sibi terminum, non solùm in principio remoto; sed etiam in proximo, & ut constituto in ultimâ actualitate, licet non in omni eo, quod complet, & determinat ultimam illam actualitatem; quia hoc est relatio, quæ solum complet, & determinat cum oppositione ad terminum.

476. Oppones nonò. Contra tertiam Conclusionem. Actus, quorum termini, & modi tendendi sunt diversi, adæquatè distinguuntur. Sed dictio, & intellectio respiciunt terminos diversos: Prima enim respicit Verbum productum; secunda verò objectum cognitum: Deinde habent diversos modos tendendi; nam dictio tendit producendo Verbum, intellectio verò non tendit producendo objectum; sed solum ipsum percipiendo per modum contemplationis. Ergo distinguuntur adæquatè.

477. Mitto instantiam, quæ posset in ipso intellectu fieri, in quo ratio intellectivi, & ratio dictivi reperiuntur, non obstante illâ terminorum, & modi tendendi diversitate, quæ ponitur in argumento, quin propter eam necessarium sit, duas

K k

Generatio divina est omninò simplex simplicitate opposita compositioni; non autem constitutio ni ex pluribus fundamentaliter, vel formaliter ratione distinctis.

Do rationem, cui generatio activa, licet involvat rationem distinguendi, se totâ non differat.

Dices eòtra 3. Conclusionem, actus, quorum termini, & modi tendendi sunt diversi, adæquatè distinguuntur.

Id falsum est, si distinctio terminorum sit tantum materialis præter-

non includit formaliter id, quod est post-
rius. Ergo dictio creata non includit in-
tellectionem; quod si hoc bene intelligi-
tur. Ergo nec dictio divina claudit intel-
lectionem.

Ex dictis 483. Evolve nostram Animasticam,
præsertim disputationem illam inquiren-
tem, in quonam intellectio formaliter con-
sistat? Et ex eâ facilem capies in nostris
principiis argumenti solutionem; in alio-
rum verò difficile tradi. Quarè nego an-
tecedens. Ad primam ejus probationem
distinguo majorem: Sub conceptu adæ-
quato actûs, qui dicitur dictio, nego: Sub
conceptu adæquato actûs, sub quo appel-
latur dictio, concedo majorem. Possibili-
tèr intellectui imprimitur ab agente spe-
cies intelligibilis, v. g. animalis, & mediâ
istâ intellectus possibilis determinatus, duo
ordinate præstat: Primò format, & pro-
ducit Verbum, quod est naturæ animalis
expressa similitudo: Secundò simul ac tale
Verbum producit, contemplatur in eo na-
turam animalis. Unde species illa intelli-
gibilis, ut est forma, mediâ quâ Verbum
efformatur, dicitur dictio; & sic intellectus
non dicit, nec producit rem absolute intel-
lectam; sed illius tamen expressivum Ver-
bum; ut verò naturam animalis contem-
platur in Verbo, eademmet species dici-
tur intellectio: Unde intelligere aliud non
est, quàm hanc speciem habere in ordine
tantum ad rem, quæ Verbo intelligitur;
sic autem idemmet actus formalis sub con-
ceptu dictionis est prior, & sub conceptu
intellectionis posterior; in radice tamen,
cum ea species intelligibilis sit, quæ dicitur
intellectio, & ea sit prior Verbo mentis;
potest dici, quod intellectio in radice sit
dictione prior.

Doctrina tradita nova non est, sed expressè tradita à S. Thoma Opusc. 14
484. Quæ doctrina non debet nova vi-
deri, cum perantiqua sit, utpotè Divi
Thomæ expressa mens Opusculo 14. ubi
sic ait: *Ex dictis manifestum est, quomodo
attenditur prioritas unius ad alterum; prius
enim naturâ est intellectus informatus specie,
quæ est primum sufficiens intelligendi, quàm
gignatur verbum; & ideo intelligere in radice
prius est verbo, & verbum est terminus actio-
nis intellectûs: Sed quia objectum non habetur*

nisi in verbo, ut dictum est; objectum autem
prius est, quàm qualibet actio ad eum termina-
ta; ideo verbum prius est, quàm intelligere. Et
paulò infra: *Sed verbum sequitur immediatè
intellectum in actu per speciem, à quâ procedit
verbum, ut actus ex actu, & non ut actus ex
potentiâ: Unde verbum posterius est actu intel-
ligendi à parte intellectûs; & sic verbum sequi-
tur ad intelligere, non in se, sed in radice. Et
in eodem Opusculo: Actio autem anima
non est ad extrâ; quia intelligere est motus ad
animam, tum ex naturâ speciei, quæ in eam
quidditatem ducit; tum ex naturâ intellectûs,
cujus actio non est ad extrâ: Prima autem actio
ejus per speciem est formatio sui objecti, quo
formato, intelligit; simul tamen tempore ipse
format, & formatum est, & simul intelligit;
quia ista non sunt motus de potentiâ ad actum;
quia jam factus est intellectus in actu per speciem;
sed processus perfectus de actu ad actum, ubi non
requiritur aliqua species motûs.*

485. Et denique in eodem Opusculo Iterum in eodè Opusc. post medium.
post medium hæc dicitur Magister Angeli-
cus: *Quia igitur res intelligibilis eo ipso intel-
ligitur, quò intellectus informatur suâ specie
actu, prius naturâ est informari, quàm intelli-
gere; sed non tempore, ideo videtur, verbum,
quod sequitur speciem rei, similiter sequi intel-
ligere ejus; hoc autem non esset, si per speciem
rei tenderet intellectus in ipsam rem, ut est in
se, sicut visus videt colorem extrâ se existentem;
& tum formaret verbum in se, re prius intel-
lectâ; sed quia intellectus accipiens speciem à re
per sensus, non ducitur per ipsam in rem, ut est
in sui naturâ; sed in se est, quia ipse facit in se
objectum, quod est in eo intellectum: Objectum
autem naturaliter prius est ipso intelligere ad
ipsum terminato. Ita ibi. Et quibus patet,
quid ad secundam probationem respõden-
dum sit; & simul constat, quàm male, inu-
tiliterque laborent ii, qui censent, in-
tellectionem immediatè ferri ad res ipsas in
sui naturâ extrâ intellectum existentes; ac
si nobilissima spiritualis potentia esset sen-
sus materialis, & extremus, ut hinc mo-
dum discas, quo intelligimus; & sic intel-
ligas, quæ hucusque in hoc Tractatu ac-
curatè discussimus, & discuteremus, si tem-
pus suppeteret.*

FINIS.

Theol.

Kk 2

INDEX